Romana Magisterij.

Stantibus &c.

Dub: *An sit locus nouo examini, & quatenus affirmatiuè, an intrà, vel extrà Religionem, & cui committendum in casu &c.*

Eme, & Rme Dñe. AD enixas preces Reuerendissimi P. Generalis Ordinis Eremitani Diui Augustini, indulxit Sanctissimus *D. N.* consuetum Breue, tributa facultate, iuxtà antiquam, & laudabilem Ordinis consuetudinem in tota Italia ad Magisterij gradum promouendi quatraginta Professores, *qui probitatis, & Doctrinæ laude præfulgerent, & quinquennio Regentis munus obierint, vel in principalioribus eiusdem Ecclesiæ Ciuitatibus verbum Dei iusta fama deprædicauerint*, vt melius, & tenore ex aduerso dando.

Cum autem inter emeritos, & Veteranos d. Ordinis Professores adesset P. Gregorius Faber à Cesena, vtpotè quia ad Regentis munus præuio consueto examine euectus vsq; de anno 1698. *Summario nu.* 1., cæterisq; opportunis requisitis designatis per Constitutiones Religionis indutus, actuq; Magister Regens Studiorum Sac. Theologiæ in Conuentu Ciuitatis Andriæ Prouinciæ Apuleæ, meruit ipse Summo Iure inter dd. quatraginta Viros Magisterij laurea decorandos, connumerari; At Romam accersitus die 29. Iunij iàm præteriti, & rigoroso expositus examini die prima Iulij subsequenti, coram sex Examinatoribus, ipsoq; P. Generali Præsidente, fuit præter omnium expectationem per secreta suffragia reprobatus, duobus ad eius fauorem suffragantibus, denegata, quod magis est concessione noui examinis.

Aduersùs huiusmodi irrationabile iudicium examinatorum, simulq; denegationem noui examinis, interposita appellatione ad hanc Sac. Congregationem per viam supplicis libelli, die 6. Iulij fuit de more rescriptum = *Audiatur P. Generalis* = qui cum dederit relationem nostris precibus aduersantem, necessarium apprimè duximus, ad defensam proprij honoris, non minus quàm ipsa vita conseruandi iuxtà monitum Iuris Consultus in *l.* 11. *ff. de offic. Magistr. Alex. in leg. si victum ff. de re iudicat.* expetere assignationem Ponentis cumq; destinatus fuerit Eminentissimus *D.* meus Cardinalis Gabriellius, contingit, iuxtà opportunitatem disputare præinsertum dubium desuper concordatum, affirmatiuè in omnibus resoluendũ, prout humilitèr depræcatur.

Allegasse sufficeret ad intentum inalterabilem stylum huius Sac. Congregationis indulgendi in fortioribus terminis nouum examen similibus Religiosis in casu, quo in concursu ad gradus non dissi-

miles Religionis fuere reiecti, pro cuius exuberanti probatione, omissis alijs antiquioribus exemplis duo supplicamus aduertenda, vnum in personam R. P. Hyacinthi Tonti à Fulgineo nostræ Religionis Professi, qui cum anno 1698. in examine ad munus Regentis fuisset reprobatus ab Examinatoribus Ordinis, habito recursu ad Sac. Congregationem etiam de voto Reuerendissimi Aduersarij, qui tunc temporis munere Procuratoris Generalis laudabiliter fungebatur, obtinuit extrà Religionem examinari, & subindè approbatus ad munus Regentis promoueri, quod actu substinet in Ciuitate Pisarum, *prout est notorium, & pro notorio allegatur*.

Alterum verò non multum dissimile obseruatam in Religione Ordinis Seruorum B. Mariæ Conuentus Diui Marcelli de Vrbe; Cum enim quinque Collegiales Baccalaurei, fuissent itidem in examine promotionis ad Regentiam per Generalem suosq; examinatores irrationabiliter reiecti, per viam similis recursus ad hanc Sacram Congregationem interpositi, meruerunt pari Iustitia, & æquitate die 26. Iunij 1682. ad nouum examen per Examinatores extrà Religioné Seruorũ admitti, vt notatum habetur in Regestris Secretariæ *Summ. num.* 2.

Attamen à dicto stylo præscindentes, & Iuris nostri tramites percurrentes, habemus regulam satis tritam, quod sicuti licet à mala relatione Examinatorum appellare, quando agitur de assecutione Beneficij, vel promotione ad gradum honoris *cap. si forte* 11. *de elect. in* 6. *Lezan. in Mar. Magn. minor. num.* 19. *Barbos. de potest. Episc. allegat.* 60. *num.* 91., *Rot. coram sa. mem. Alex. VIII. decis.* 209. *nu.* 1., *& in rec. decis.* 148. *num.* 8. *part.* 6. Ità pariter ex necessario consequenti licitum esse debet docere de grauamine illato, quod melius, quàm per nouum examen fieri non potest, vtpotè germanus modus probandi scientiam Reprobati, & grauamen Examinatorum *Barbos. de potest. Episc. part.* 3. *allegat.* 60. *num.* 91., *ac claus.* 151. *num.* 8. *Rota coram sa. mem. Gregor. XV. decis.* 527. *num.* 5., *& decis.* 538. *num.* 4., *&* 5., *& coram Buratt. decis.* 942. *num.* 3., *& cor. Merlin. decis.* 159. *num.* 10. Certiùs verò quando illius scientia remanet aliundè comprobata, in his enim terminis clara remanet irrationabilitas Iudicij Examinatorum, vt in puncto eius, qui fuerat per Episcopum ad solos Minores Ordines approbatus firmat *Rot. decis.* 488. *num.* 2. *part.* 3. *recent.*, *& decis.* 246. *num.* 5. *coram sa. mem. Alex. VIII.*

Idoneitas igitur P. Fabri saltem præsumptiuè, patet vsq; ad palpabilem euidentiam, nedum quià spatio quatuor annorum operam nauauerit studio Philosophiæ, & aliorum quatuordecim Sac. Theologiæ; Verum ex quo per plures vices fuit expositus examini Lectoratus, Baccalaureatus, & omnium maximo, & rigorosissimo Regentis *dicto Summario num.* 1., semperque canonicè approbatus, quibus omnibus prærogatiuis veri Magistri, si superaddatur, docuisse

cuisse Theologiam in Cathedris Suessanen., & Andrien. per integrum quinquennium, & demùm vti Magistrum Regentem præfuisse septem Conclusionibus Theologicis publico expositis certamini *Summario num. 3.*, nullus cordatus homo controuertere poterit summam ipsius capacitatem, tametsi superabbundaret ad intentum sola prærogatiua Regentis, cuius obiectum, cum præcisè versetur in docendo, imprimit per necesse qualitatem, & characterem veri Magistri argumento *text. in leg. quibus præcipua* 57. *ff. de verbor. signific. Fælin. in cap.*1. *de Magistr. num.*4. *lib.*5., & Ius tribuit appellandi à mala relatione examinatorum, licet veriùs etiam sine fumo præcedentis habilitatis detur prouocatio, vt relatis resolutionibus Sacræ Congregationis Concilij firmat *Eminentissimus de Luc. de Paroch. discurs.6. num.5.*

Vltrà quam quod cum hodie non agatur de promouendo Patre Fabro reprobato ad gradum Magisterij (in quibus terminis esset funditus recognoscenda idoneitas,) sed solum præsupposita illius capacitate ex qualitate Regentis, occurrat quæstio, an veniat nouo exponendus examini, hic dicitur merus Iustitiæ actus, nullaque per consequens irrogatur iniuria P. Generali eiusq; Examinatoribus, quorum probitatem licet veneremur, adhuc tamen non est impossibile, quod potuerint decipi.

Nec est cur dicatur P.Generalem potiri absoluta facultate admittendi ad examen Religiosos sibi beneuisos, quoniam si hoc esset verum allegaret ipse Dominium iure dispotico, & superfluum euaderet studium tot annorum, & Cathedras ascendisse, quippe quia Discipulus præiret Magistro, & milites Veterani in Theologica facultate vincerentur à Tyronibus, quod esset monstruosum in Iure, cuius perpetua voluntas ea fuit; vt honores per dignitates, & merita distribuantur *leg. & qui originem* §.*Præses* ibi = *munera, & honores in Ciuitatibus æqualiter secundum dignitates, & ætates, aut gradus numerum, honorumue, qui antiquitus statuti sunt iniungi ff. de muner., & honor.*, = hicq; est sensus Breuis Sanctissimi D. N., dùm enim dat legem illos promouendi, *qui quinquennio Regentis munus obierint*, necessario subsequitur non esse in libertate P.Generalis repositum, vnum potius recentiorem Regentem, quàm alterum antiquiorem Magisterij laurea decorandi, vt patet ad sensus.

Prætereà grauamen illatum occasione examinis crescit in vniuersum ponderando, prout supplicamus. Primo quod P. Faber, veniens Romam è Prouincia Apuliæ post iter 400. milliariorum, nulla elargita quiete, die subsequenti fuit ad examen vocatus, & tamen omnis æquitas dictabat, quod debuisset expectari per aliquod tempus, prout spatio decem circiter dierum fuere expectati alij quam plures Regentes, è vicinioribus locis appulentes. Secundo verò ex quo P. Generalis voluit tradere suffragium, & tamen cum ipse non gesserit vices Examinatoris, sed solummodò tamquàm Iudex

Num. 4.
Particula Decisionis.

R. P. D. MVTO.

Syracusana Præposituræ.

Merc. 26. Iunij 1697.

Ad Præposituram &c.

Michael nouum subire examen non hæsitans coram alijs tamen Examinatoribus ab hoc Sac. Auditorio deputandis, assumpsit hodie coram me disputationem Dubij aliàs, & sub die 7. Ianuarij præteriti demandati *An sit locus admissionis ad nouum examen*, & coram alijs Examinatoribus, quam deputatis ad formam Sac. Concilij Tridentini, & esse locum huiusmodi admissioni coram Reuerendissimo Domino meo Decano, & me, tamquam Iuri Congruum respondendum esse PP. Censuerunt.

Moti ex eo quod cum Michael at relatione Domini Cardinalis Vicarij Vrbis appellasset multipliciter sentiens se grauatum, denegari non potuit nouum examen: Nam iste est optimus modus probandi scientiam Examinati aliàs reiecti, & grauamen ab Examinatoribus illatum vt inquit *Rot. dec. 8. de probat. decis.* 18. *num.* 4. *de Concess. Præbend. in nouis, coram Gregor. dec.* 527. *num.* 2. *ibique Adden. n.* 4. *coram Coccin. dec.* 682. *num.* 3. *& coram Merlin. dec.* 159. *num.* 10. Quin dubitatum fuerit Michaeli licitam fuisse Appellationem à relatione præfatorum Examinatorum, cum eadem admittatur de constanti mente Sac. Congregationis Concilij cui famulari studet Tribunal nostrum, & signanter *in vna Pistorien. Concursus* 12. *Augusti* 1602. *coram san. mem. Clemen. VIII.* in qua inter alios Cardinales Interpretes Interfuere Blanchettus, Mantica, & Plattus, olim nostri Ordinis Patres conscripti, vti testatur, & discusso formiter articulo in hoc sensu, & præcipue *à num.* 2. aliasq; resolutiones referunt *Fagnan. in cap. Cum sit ars à num.* 50. *de aetat. & qualitat. Nouar. in Summar. Bullar. par.* 2. *tit. de concurs. ad Paroch. num.* 26. *in fin. Barbos. in Summ. Apostolic. Decis. in Verbo Appellatio num.* 9.

Idque facilius animaduertentes DD., quod Michael ab eius Ordinario præcedenter approbationem reportauerat ad quæcumq; Beneficia, quamuis Curata, & in specie ad Præposituram controuersam vt dum semel habilitas huiusmodi fuerat acquisita, cum illa inhæreat animo, & menti præsumendum non est quod tam de facili obtenebrari potuerit in nouo examine, cum actus scientifici sint ad Instar formę, quæ imprimitur stabilis in Intellectu, ita vt non debeatur nisi

nisi illius corrumpantur iuxta sensum *Rotæ in recent. decis.* 175. *num.* 9. *cum seqq. par.* 18. cum ibi allegatis sed censeri potiùs debeat reprobationem sequutam vel ex nimio in hypothesi rigore Examinatorum vt patuit ex eorum quæsitis, & responsionibus *Summario* Michaelis *num.* 4. vel ex quo iste fuerit timore concussus, aut rubore confusus quod & disertissimis, & Veteratis Oratoribus aliquando contigisse aduertit *Rot. coram Merlin. dicta decis.* 159. *num.* 12. *& ante ipsam Gloss. in C. omnes in l. fortuita C. de præscript.* 30. *vel* 40. *annorum Archidiacon. in Can. de quibusdam num.* 5. *in fin. decis.* 37., *Gonzal. ad reg.* 8. *gloss.* 4. *num.* 119. *& seqq. Garz. de Benef. par.* 9. *cap.* 2. *num.* 251.

Firmato ex his admittendum esse Michaelem ad nouum examen, cum nec æquum nec iustum fuerit istud demandare eisdem Examinatoribus Domini Cardinalis Vicarij, à quibus Michael Appellauerat, nam durum nimis est vt quis cogatur eorum subire Iudicium, quod sibi contrarium in priori examine expertum fuit vt ait *Vener. in Exam. Episc. lib.* 4. *cap.* 45. *num.* 40. *& Garz. de Benef. par.* 9. *cap.* 2. *num.* 245. *in fin.* Domini arbitrati sunt hoc nouum examen peragendum esse coram Reuerendissimo Decano, & Me, prout practicatum fuit in casu relatæ *Decisionis coram Merlin.* 159. sicuti legitur in eius exordio.

Et ita resolutum vtraque &c.

SACRA CONGREGATIONE

Episcoporum, & Regularium

Emo, & Rmo Dno Card.

GABRIELLIO

Romana Magisterij.

P R O

R. P. Regente Gregorio Fabri.

C O N T R A

Reuerendiss. Patrem Generalem Ord. Eremitani S. Augustini.

Facti cum Summario.

Romæ, Typis Reu. Cam. Apost. 1703.
Superiorum permissu.